

ferunt: « Quibus casibus testis infamis, jure permittente, ad testimonium admittitur, fides ei sine tormentis non habetur. » Faciunt etiam l. 13, c. dict. tit. et novell. 90, cap. 1.

(139. Provocat huc etiam pontifex in can. 7, c. 2, q. 1 in fine, inquit: « Multæ leges sancunt, uti vilissimis testibus sine corporali discussione credi non debeat. »

(140. Hi autem textus conjunctim considerati ostendunt, non absolute testes vilissimos et infames torturæ esse subjiendos, sed ubi gravitas causæ hoc postulat, ut veritas absque eis aliter haberi non possit, et tamen suspicio falsi, vel corruptionis adsit, quod veritatem fateri nolit; ut adeoque tormenta non fidem per se faciant, sed tantum operentur, ut a suspecto fides eo facilius erui possit; Tabor. *De tortur.*, c. 5, n. 18 et sequent. Quorsum potissimum pertinet, si testes vacillent aut variant, de quibus tamen constat quod facti notitiam habeant. Carpzov. *Process. crimin.*, q. 119, n. 46 et seq.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt testium numerum, testes, contestes, testes singulares, testes de scientia, testes de credulitate, testes de auditu, testium productionem, juramentum, et examen, ac interrogatoria suggestiva.

SUMMARIUM.

1. Regulariter in qualibet causa, sive profana vel sæculari, sive ecclesiastica, sive criminali, sive civili, ad legitimam probationem requiruntur, et sufficiunt duo testes idonei, et omni exceptione majores; nisi expresse per legem aut canonem plures in aliqua causa requirantur. — 2. Assignantur variæ causæ, in quibus tum de jure civili, tum de jure canonico requiruntur plures, quam duo testes, ad n. 4. — 3. Unus solus testis, cujuscunque sit dignitatis, non sufficit ad legitimam probationem. — 6. Afferuntur tamen varii casus, in quibus sufficit unus testis. — 7. Testes quoad probationem alii vocantur testes contestes, et alii singulares, et qui sint utriusque. — 8. Singularitas testium est triplex, nempe obstativa, adminiculativa, ac diversificativa. — 9. Singularitas obstativa quæ sit. — 10. Singularitas adminiculativa quæ sit. — 11. Singularitas diversificativa quæ sit. — 12. Testes singulares singularitate obstativa nihil probant. — 13. Testes singulares singularitate diversificativa, quamvis plene non probent, singuli tamen probant tantum quantum unus. — 14. Testes singulares singularitate adminiculativa probant in causis civilibus idem factum genericum, continuum, successivum. — 15. Quinimo etiam in causis criminalibus, si testes plures testentur de diversis actibus, seu indicis ad eundem omnino finem, et effectum tendentibus. — 16. Quamvis tamen in causis criminalibus caute sit procedendum ad reos pœna ordinaria condemnandos per solas attestaciones similium testium. — 17. Testes quoad probationem, alii dicuntur testes de scientia, alii testes de credulitate, et alii testes de auditu, et qui sint omnes. — 18. Ordinarie loquendo, ad legitimam facti probationem requiruntur testes de scientia. — 19. Hinc ordinarie loquendo, ad legitimam facti probationem non sufficiunt testes de credulitate, et testes de auditu alieno. — 20. Assignantur tamen aliqui casus, in quibus admittuntur ad probationem etiam testes de credulitate et testes de auditu alieno. — 21. Testes regulariter producendi sunt post litem contestatam; et citata parte adversa. — 22. Dantur tamen plures casus, in qui-

bus testes produci possunt etiam ante litem contestatam. Et signanter in causis civilibus, cum adest periculum ne testimonii facultas pereat. — 23. Item si reus legitime citatus comparere noluerit, sicque contumax fuerit, simulque periculum sit in mora. — 24. Item etiam lite non contestata, possunt produci et recipi testes ad perpetuam rei memoriam, ne videlicet in posterum probationis copia pereat. — 25. Item quando agitur per viam inquisitionis super aliquibus excessibus: vel testium publicatio imminet facienda. — 26. Item in judiciis summaris. — 27. In causis autem criminalibus criminaliter motis non possunt unquam produci, et recipi testes lite non contestata pro instituenda futura accusatione. — 28. Secus autem est dicendum in causis criminalibus solum civiliter motis. — 29. Ordinarie tres solum testium productiones fieri, et admitti possunt, quarta vero non nisi ex gravi causa, et cum solemnitate legali admitti potest. — 30. Dicta requisita solemnitas legalis in quarta productione testium importat juramentum super tribus punctis judicialiter præstandum, quæ tria puncta assignantur. — 31. Qui testificata, seu depositiones testium nondum didicit, neque testibus producendis renuntiavit, potest in eodem etiam judicio, et super eisdem articulis iterum eodem, vel alios testes producere. — 32. Post didicita autem testificata, seu didicita testium depositiones, aut post factam publicationem attestacionum, non potest pars super eisdem articulis, vel directe contrariis reproducere priores testes, neque alios novos producere. — 33. Dantur tamen varii casus, in quibus etiam post publicationem attestacionum, aut didicita attestata, et insuper etiam post conclusionem in causa possunt adhuc produci novi testes, aut reproducere priores, etiam super eisdem articulis, et admitti novæ probationes. — 34. Testes e longinquo producendi sunt sumptibus ipsius producentis. — 35. Insuper producens testes de longinquo debet eis compensare emolumenta, quibus testes ob absentiam carere debent, seu operas ob id ab eis omittas. — 36. Pars adversa, seu quicumque alius testium productionem injuste impediens peccat graviter, et potest ob id excommunicari. — 37. Testes antequam deponant, debent jurare, alioquin eorum testimonium non valet, et nihil probat in judicio. — 38. Testium juramentum non est calumniæ, sed veritatis, id est de tota veritate dicenda, quam noverint circa rem illam, super qua deposituri jurant. — 39. Juramentum testium debet esse personale, ac præstari tactis sacrosanctis Evangelis. — 40. Episcopi non jurant tactis corporaliter sacris Evangelis, sed tantummodo iis coram se positis et inspectis, tacto suo pectore jurant. Quod extenditur etiam ad alios sacerdotes, et alios in sacris constitutos. — 41. Testes possunt interdum testificari de consensu partium etiam sine juramento. — 42. Testes examinandi sunt ab ipsomet iudice. — 43. Ob justam tamen causam potest iudex alteri personæ idoneæ eorum examen committere. — 44. Testes secreto, et singillatim seorsim ab aliis sunt examinandi, et non plures simul. — 45. Potest tamen, imo debet iudex adhibere notarium, aut duos viros idoneos, qui testium depositiones conscribant. — 46. Et insuper in examine testium super crimine hæresis, præter notarium adhiberi debent alia duæ religiose, et discretæ personæ. — 47. Examinatio testium ordinarie fit in loco iudicii, et ante prandium, dum testes adhuc sunt jejuni. — 48. Si autem expediens videatur, potest examinatio testium fieri etiam post prandium, ipsis testibus non jejunis, et etiam extra locum iudicii. — 49. Personæ egregiæ, quando producuntur in testes, domi suæ examinari possunt, ac debent. — 50. Assignantur qui comprehenduntur inter personas egregias. — 51. Eodem privilegio gaudent etiam testes valetudinarii, et senes, vel debilitate coniecti, aut paupertate depressi, et feminæ.

— 52. Quod dictum est de personis egregiis, locum non habet in causis criminalibus. — 53. Nec in causis civilibus valde arduis. — 54. In examinatione testium ultra interrogatoria generalia, sunt his facienda interrogatoria specialia, quæ generatim ad decem reducuntur, et hic assignantur. — 55. In testibus examinandis sunt omnino, utpote a jure prohibita, evitanda interrogatoria suggestiva. — 56. Assignantur interrogatoria suggestiva. — 57. Duplex potest esse suggestio, una scilicet aperta, et alia palliata, et quæ sit utraque. — 58. Confessio rei per interrogationem suggestivam extorta, non præcedentibus signis, non sufficit ad ipsum condemnandum, si omnia inde secuta, sunt penitus nulla, et invalida. — Alia ad rem ad num. 66.

(1. Regulariter in qualibet causa sive profana, vel sæculari, sive ecclesiastica, sive criminali, sive civili ad legitimam probationem requiruntur, et sufficiunt duo testes idonei, et omni exceptione majores; nisi expresse per legem, aut canonem plures in aliqua causa requirantur. *Communis*, per expressos textus c. xvii, 6, *Deuteronomii*, ibi: *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur*; c. xix, 15, ejusdem *Deuteronomii*, ibi: *In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum*; *Matth.* xviii, 16, ibi: *Ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*; cap. *Licet* 23 eod., ibi: « Juxta illud Dominicum: *In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*, » can. *Si testes* 3, § *Ubi numerus*, caus. 4, qu. 2 et 3, ibi: « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt, pluralis enim locutio duorum numero contenta est, » leg. *Ubi*, n. 12, ff. *De testibus*, ibi: « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt; pluralis enim locutio duorum numero contenta est. »

(2. Dicitur autem notanter: « Nisi expresse per legem, seu canonem plures in aliqua causa requirantur; » quia in variis causis plures quam duo testes requiruntur, tum de jure civili, tum de jure canonico. Et quidem de jure civili in testamentis requiruntur septem testes, leg. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*; leg. *Heredes* 21, § *In testamentis*, ff. *Qui testamenta facere possunt*. Et quinque testes in codicillis; leg. *Si quis* 8, § 3, cod. *De codicillis*. (3. Item quinque testes requiruntur in donatione facta causa mortis; leg. *Cum de mortis causa* 4, cod. *De donationibus causa mortis*. Item aliæ plures sunt causæ, in quibus plures quam duo testes requiruntur, quæ brevitate gratia relinquuntur videndæ apud Speculatorem tit. *De teste*, § *De numero testium*, n. 1; Farinac., tract. *De testibus*, q. 63, n. 233, qui plures hujusmodi causas enumerant.

(4. De jure canonico etiam in variis causis plures quam duo requiruntur testes. Et signanter in purgatione canonica episcopi requiruntur testes duodecim; can. *Omnibus* 19, caus. 2, q. 4, et concordat c. *Nobilis* 1, *De purgatione canonica*. Et in purgatione presbyteri septem, et in purgatione diaconi tres requiruntur, can. *Si legitimi* 12, ead. caus. 2, et q. 4. Item in causa divortii ob impotentiam viri septem requiruntur testes

ex parte utriusque conjugis, qui fuerint quod invicem cohabitaverint, et nunquam copulam habere potuerint, c. *Requisivisti* 2, caus. 33, q. 1, cap. *Laudabilem* 5, et c. *Litteræ* 7, *De frigidis et maleficiis*. Item ad condemnandum episcopum testes lxxii, presbyterum xlv, diaconum xxvii, et subdiaconum, vel inferiorem clericum Ecclesiæ Romanæ vii requiruntur, in c. *Præsul* 2, caus. 2, quæst. 5. Unde in cap. *Licet* 23, *De testibus*, expresse dicitur, quod « quædam sint causæ, quæ plures quam duos exigant testes. » Quamvis tamen de consuetudine hodie ad convincendam quancunque personam in quacunque dignitate constitutam sufficiant duo testes idonei, et omni exceptione majores. Gratianus, in cit. can. *Præsul* 2, caus. 2, qu. 4, § *Ex præmissis*, et can. *Nullam* 3, § *Sed hoc*, ead. caus. et quæst.; Clarus, in *Prætic. criminali*, lib. v, § final, q. 66, n. 5; Pirrhing., l. c., n. 8; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 244; Farinac., q. 63, *De testibus*, num. 224, citans alios et communem.

(5. Unus solus testis, cujuscunque sit dignitatis, non sufficit ad legitimam probationem, ita ut nulla judicialis controversia testimonio unius hominis, quamvis legitimo, terminari possit. *Communis*, et habetur expresse tum de jure divino ex adductis testibus supra num. 1, et ex c. xvii, 6, *Deuteronomii*, ibi: *Nemo occidat uno contra se dicente testimonium*; et ex ejusdem cap. xix, vers. 15, ibi: *Non stabit testis unus contra aliquem*. Tum de jure canonico cap. *Veniens* 10, *De testibus*, ibi: « Nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus; » cap. *Licet* 23, eod., ibi: « Nulla est tamen causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur; » can. *Si testes* 3, § *Jurisjurandi*, caus. 4, quæst. 2 et 3, ibi: « Unius testis responsio omnino non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat; » can. *Admonere* 8, caus. 33, qu. 2, ibi: « Nec Evangelium, nec ulla divina humanaque lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel justificat. » Tum de jure civili, l. *Jurisjurandi* 9, cod. *De testibus*, ibi: « Manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat; » juncto ejus Summario, *ibidem*, ubi refert illud vulgatum: *vox unius, vox nullius*.

(6. Dantur tamen plures casus, in quibus etiam unius testimonium ad plenam fidem et probationem faciendam sufficit. Et signanter in quibusdam causis non judicialibus, nec alteri præjudicialibus, ut quod talis infans sit baptizatus, talis clericus sit ordinatus, talis pœnitens sit confessus, talis moribundus signa pœnitentiæ dederit, talis excommunicatus sit ab excommunicatione absolutus, talis Ecclesia sit consecrata, et hujusmodi, arg. c. *Cum itaque* 112, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Qui testimonio*, dist. 4, *De consecrat.*; Mascard., *De probationibus*, vol. 1, q. 11, n. 14, et conclus. 103, Farinac., q. 63, n. 26 et 27; Pirrhing., *loc. cit.*,

num. 112, et alii passim. Item in causis judicialibus levioribus, in quibus non agitur de gravi præjudicio tertii, et in causis summaris, in quibus de plano proceditur sola facti veritate inspecta, Mascard., cit. q. 11, num. 19; Farinac., cit. q. 63, num. 30; Maranta, *De ordin. judic.*, part. iv, dist. 9, n. 75; Gabriel, *Commun. conclus.*, lib. 1 *De testibus*, concl. 1, n. 22 et 41; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 280, et alii communiter. Item quando agitur de vitando peccato, dummodo parti jus non sit acquisitum, ut si ante contractum matrimonium dubitetur de impedimento dirimente; tunc enim sufficit testis unicus id affirmans, ut patet ex cap. *Super eo* 22, *De testibus*, et cap. 2, *De sponsalibus*; Abbas, in cit. cap. *Super eo*, num. 7; Farinac., cit. q. 63, num. 48; Sanchez, lib. 1 *De matrim.*, disp. 71, num. 1, testans de communi. Item creditur publico officiali jurato in his quæ pertinent ad suum officium, ut nuntio seu apparitori asserenti citationem a se factam esse, ponderatori publico circa mensurationem seu ponderationem justam rerum ad se delatarum, medico, architecto, agrimensori, et hujusmodi. *Communis*.

(7. Testes quoad probationem alii vocantur testes contestes, et alii testes singulares. *Testes contestes* sunt illi, qui unum et idem ipsum factum testantur, ut quod viderint Petrum furantem talem rem, tali loco et tempore, v. gr. candelabrum argenteum tali die, in tali ecclesia. *Testes singulares* e contra sunt illi, qui testantur super diversis factis, ita ut quilibet sit singularis in suo dicto, et non concordet cum alio. Sic in re doctores communiter.

(8. Singularitas testium est triplex, nempe obstativa, adminiculativa et diversificativa. Sic Baldus, in cap. *Licet causam*, n. 11, *De probationibus*; Farinac., *De testibus*, q. 6, n. 4, cum aliis ibi citatis; Pirrhing, *loco citato*, n. 142; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 285, et alii passim.

(9. *Singularitas obstativa*, seu *adversativa* est ea quæ continet contrariam, seu repugnantem testium depositionem, ut si unus deponat tale homicidium, seu adulterium commissum esse in tali loco et tali tempore; alter vero asserat commissum esse in alio loco et alio tempore, ut patet de singularitate obstativa seu adversativa duorum illorum impudicorum testium senum, *Daniel*, cap. xiii, quorum unus testabatur castam Susannam commisisse adulterium sub schino, et alter sub prino; repugnat enim, quod idem numero adulterium committatur eodem tempore, in diversis locis, seu sub diversis et distinctis arboribus.

(10. *Singularitas adminiculativa*, seu *cumulativa* est ea, quæ continet testium depositionem de actibus quidem diversis, sed tamen mutuo sese adjuvantibus ad probandum id de quo est quæstio; ut si ad probandam controversam possessionem agri, unus testis asserat se vidisse illum arari a Paulo, alter dicat se vidisse illum ab eodem Paulo seminari, et alter deponat se vidisse

messem ab eodem Paulo ex eo colligi: isti enim testes, quamvis sint singulares, quia deponunt de diversis actibus possessoriis, uti sunt arare, seminare et messem colligere, tamen cum tendant ad eundem finem, probandi nempe possessionem illius agri habitam a Paulo, dictum unus testis coadjuvat dictum alterius, et sic de aliis similibus, ut cum ad probandum idem factum concurrunt diversæ quidem testium depositiones mutuo tamen sese adjuvantes, ut si unus testis deponat de facto a se viso, alter de eodem a se audito, alter de fama ejusdem, et hujusmodi.

(11. *Singularitas diversificativa* est ea, quæ continet testium depositionem de actibus diversis, quorum unus neque repugnat alteri, neque ipsius probationem coadjuvat, ut si unus testis asserat quod Petrus ludens cum Paulo amisit scuta centum tali die et tali loco, et alter dicat quod amisit octoginta alio loco et alio tempore; tales enim testes non contrarii, sed diversi, deponentes de diversis actibus reputantur; cum non repugnet quod Petrus ludens cum Paulo bis et ter, et adhuc pluries, diversas summas diverso loco et tempore amiserit. Unde neque una depositio repugnat alteri, neque eandem adjuvat, sed quælibet manet singularis in substantia objecti, et effectus, ac si altera depositio non fuisset facta.

(12. Testes singulares singularitate *obstativa*, seu *adversativa* nihil probant. *Communis*, et patet expresse ex cap. xiii *Danielis* de adductis supra n. 9, duobus impudicis testibus senibus accusantibus castam Susannam de adulterio, qui, ex quo essent testes singulares singularitate *obstativa*, seu *adversativa*, succubuerunt in probatione, et falsitatis convicti fuerunt. Unde melius est habere pro se unum solum testem alioquin idoneum, quam mille testes singulares singularitate obstativa, cum isti omnes nihil probent, et ille solus probet saltem semiplena.

(13. Testes singulares singularitate *diversificativa*, quamvis plene non probent, singuli tamen probant tantum, quantum unus, adeoque ex eorum depositione oritur saltem semiplena probatio. Prima pars, scilicet quod plene non probent, habetur clare ex cap. *Bonæ memoriæ* 23, § *Contra*, *De electione*, ibi: « Cum etsi quilibet de se posset asserere quod ad eum citatio minime pervenisset, singuli tamen vestrum essent in suo testimonio singulares. » Et sic, ut explicat Glossa, *ibid.*, verb. *Singulares*, « Et sic esset insufficiens testimonium illorum. » Et concordat cap. *Cum dilectus* 32, § *Nos vero*, *De electione*, ibi: « Cum contra hoc eorum esset probatio insufficientis, eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares, » juncta Glossa, *ibidem*, verb. *Probatio*, et c. *Licet causam* 9, § *Quamquam*, *De probationibus*, ibi: « Et quidam alii sint in dicto sui testimonii singulares. » Secunda autem pars, scilicet, quod singuli probent tantum, quantum unus, adeoque ex eorum

depositione oriatur saltem semiplena probatio, suadetur clara ratione, quia, cum eorum depositiones in nihilo sint contrariæ, et repugnantes, ut patet ex dictis supra n. 11, quælibet de se habere debet totum illum valorem, quem habet depositio unius testis cæteroquin idonei, et omni exceptione majoris, uti esse supponitur quilibet istorum in hoc casu, adeoque semiplenam facit probationem, uti facit depositio unius testis legitimi, et omni exceptione majoris. Farinac., cit. q. 54, n. 42 et 47; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 294 et seq.; Jason., in l. *Admovenendi*, num. 178, ff. *De jurejurand.*; Cacciapulus, *ib.*, n. 91, 92, 93, testans de communi.

(14. Testes singulares singularitate *adminiculativa*, seu *cumulativa* probant in causis civilibus idem factum genericum, continuum seu successivum. Ita Glossa final. in l. *Ob carmen*, ff. *De testibus*; Mascard., *De probationibus*, conclus. 1205, n. 24 et seq.; card. de Luca, tract. *De dote*, disp. 144, n. 9; Farin., cit. q. 64, n. 112, 130, 160 et 164; Pirrhing, *loco citato*, n. 174; Reiff., *loco citato*, num. 297 et seq.; Felin., in c. *Licet ex quadam*, num. 2; Baldus, *ib.*, n. 9, *De testibus*; Tuschus, litt. C, concl. 265, et alii passim. Et ratio est, quia, ut patet ex dictis supra n. 10, tales testes quoad rem et substantiam quæstionis non censentur esse testes singulares, sed potius contestes per notabilem textum in l. *Qui sententiam* 16, cod. *De pœnis*. Tum quia licet adhuc possent dici testes singulares, et quoad deponant de alio et alio actu specifico, nihilominus tales testes etiam singulares conjunguntur in dicto casu ad plene probandum, cum tendant ad eundem finem, quamvis per diversa media, arg. cap. *Cum dilectus* 3, juncto ejus Summario et Abbat., *ibid.*, num. 8, *De successione ab intestato*.

(15. Quinimo etiam in causis criminalibus, si testes plures testentur de diversis actibus seu indicis ad eundem omnino finem et effectum tendentibus, ut si aliqui jurati deponant se vidisse Paulum egredientem e domo occisi, alii testentur de fuga ipsius, et alii de fama publica, poterunt conjungi ad faciendam plenam probationem. Mynsing., cent. 3, observ. 106; Pirrhing, *loco citato*, n. 144, vers. *Etiam*; Layman., lib. iii *De justitia*, tract. 5, cap. 4, n. 5, vers. *Interim verum est*, in fine, ex l. 3, ff. *De testibus*. (16. Quamvis tamen in causis criminalibus criminaliter motis caute sit procedendum ad reos pœna ordinaria condemnandos per solas attestaciones similium testium, cum ad id requirantur probationes indubitæ; l. *Sciãnt cuncti*, cod. *De probationibus*, cap. *Testes* 2, q. 7 et cap. 1, *De exceptionibus*, et notant passim doctores.

(17. Testes quoad probationem alii dicuntur testes de scientia, alii testes de credulitate, et alii testes de auditu. *Testes de scientia* dicuntur, et sunt illi, qui deponunt, se scire aliquid ita esse gestum, eo quod proprio sensu corporeo, v. g. visu, vel au-

ditu, id perceperint, nempe viderint tale furtum fieri a Petro, audierint talem blasphemiam proferri a Paulo, et hujusmodi. *Testes de credulitate* dicuntur, et sunt illi, qui jurati deponunt, se credere rem ita se habere. *Testes de auditu*, *auditus*, seu *ex auditu alieno* dicuntur, et sunt illi, qui jurati deponunt, se ita audivisse narrari a viris fide dignis. Sic in re doctores communiter.

(18. Ordinarie loquendo ad legitimam facti probationem requiruntur *testes de scientia*. *Communis*. Et ratio est, quia de factis externis, et sensu perceptibilibus nequeunt testes esse certi, nisi per aliquem proprium sensum corporeum; certitudo autem de eo, quod testantur, est omnino necessaria ad legitimam probationem, cum teneantur reddere causam suæ scientiæ, seu testimonii sui quando desuper interrogantur, prout a iudice interrogari debent; cap. *Cum causam* 37, juncta Glossa, *ibidem*, verb. *De causis, de testibus*, quam causam suæ scientiæ, seu sui testimonii, si non reddiderint, non valebit eorum dictum, seu testimonium, ut pluribus adductis notat Glossa in cit. verb. *De causis*, et tenet communis doctorum per textum in cap. *Sicut nobis* 16, *De sententia et re judicata*, ibi: « Verum testimonium ipsorum quasi nude prolatum fuerat, cum de causis quæ iudicem movere solent ad sententiam proferendam, nihil dixerint. »

(19. Hinc ordinarie loquendo ad legitimam facti probationem non sufficiunt *testes de credulitate* et *testes de auditu alieno*, cum tales, ut notant passim doctores, non dicantur vere et proprie testes, sed solum improprie.

(20. Dicitur autem notanter ordinarie loquendo, quia in quibusdam casibus admittuntur ad probationem etiam *testes de credulitate*, et *testes de auditu alieno*. Et signanter *testes de credulitate* admittuntur contra producentem. Item ad probandam rei innocentiam, ut quod hominem occiderit ad necessariam sui defensionem. Item in iis quæ difficilis probationis sunt. Item quando concurrunt alia adminicula præsumptionis, vel indicia. Sic pariter admittuntur testes de auditu alieno, si deponatur super factis antiquis ætatem, et memoriam hominum actu viventium excedentibus. Item in iis quæ facta sunt tempore pestis, cum in iis difficile reperiantur testes, qui de visu aut auditu proprio deponere possint. Item quando testimonium de auditu alieno est adminiculatum, seu conjunctum cum aliis conjecturis aut præsumptionibus, vel probationibus. Item in aliis casibus, in quibus admittuntur testes de credulitate. Sic in re doctores communiter.

(21. Testes regulariter producendi sunt post litem contestatam, et citata parte adversa. *Communis*. Et quidem quoad primam partem, textu expresso in cap. *Quoniam* 5, § 1, *Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem*, ibi: « Quoniam frequenter in dubium revocatur a multis an lite

non contestata testes recipi valeant, auctoritate præsentium duximus declarandum, regulariter verum esse quod lite non contestata, non est ad receptionem testium procedendum. » Et quoad secundam partem, textu expresso in cap. *In nomine Domini* 2, De testibus, et in Authent. *De testibus*, § *Et hic vero*, collat. 7.

(22. Dicitur tamen notanter regulariter, quia dantur speciales casus, in quibus testes produci possunt etiam ante litem contestatam. Et signanter in causis civilibus, cum adest periculum, ne testimonii facultas pereat, ut sitimeatur de testium morte, vel absentia diuturna, textu expresso in cit. cap. *Quoniam*, statim post verba num. antecedenti adducta, ibi: « Nisi forte de morte testium timeatur, vel absentia diuturna, in quibus casibus, cum civiliter est agendum, ne veritas occultetur, et probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, senes, et valetudinarii et alii testes, de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, etiam lite non contestata, sunt procul dubio admittendi. »

(23. Item si reus legitime citatus comparere noluerit, sicque contumax fuerit, simulque periculum sit in mora, tunc contra contumacem, etiam lite non contestata, possunt testes produci, et recipi, ac insuper si de causa liquido constet, etiam sententia definitiva ferri, textu expresso in cit. capite *Quoniam*, § *Porro*.

(24. Item etiam lite non contestata, possunt produci et recipi testes ad perpetuam rei memoriam, ne videlicet in posterum probationis copia pereat, textu expresso in cit. cap. *Quoniam*, § *Sunt et alii*, juncto ejus Summario, et Glossa, *ibid.*, verb. *Publicatio*, et cap. *Significavit* 41, De testibus, et Authent. *De testibus*, § *Et hic vero*, collat. 6.

(25. Item etiam lite non contestata possunt produci et recipi testes, quando agitur per viam inquisitionis super aliquibus excessibus; vel testium publicatio imminet facienda, textu expresso in cit. cap. *Quoniam*, § *Sunt et alii*.

(26. Item etiam lite non contestata possunt produci et recipi testes in judiciis summariis; cum enim in istis procedatur simpliciter, summarie, ac de plano, non est necessario præmittenda litis contestatio. Clementin. *Sæpe contingit*, De verbor. significat; Glossa communiter recepta in cit. cap. *Quoniam*, § 1, verb. *Regulariter*, ubi plures enumerat speciales casus, in quibus summarie procedi potest, et lite non contestata, possunt testes produci et recipi.

(27. In causis autem criminalibus criminaliter motis non possunt unquam produci et recipi testes, lite non contestata, pro insituenda futura accusatione. Sic Glossa communiter recepta in cit. cap. *Quoniam*, § 1, verb. *Civiliter*, ubi sic expresse habet: « Civiliter hoc ideo dicit, quia in criminalibus nunquam recipiuntur testes, lite non contestata. » Et id desumitur aperte ex cit. cap. *Quoniam*, § 1, ibi: « In quibus casibus, cum civiliter est agendum, » etc.; ergo

secus, quando criminaliter est agendum: exceptio enim unius firmat regulam in contrarium in casu non excepto, l. *Quæsitum*, § *Denique*, ff. *De fundo instructo*, cap. *Domini* 32, quæst. 7, et cap. 2, *De conjug. leprosororum*. Et ratio efficax est, quia, cum in criminalibus causis criminaliter motis non agatur de solo interesse pecuniario, ut in civilibus, sed de gravissimo præjudicio vitæ hominis, requiruntur in ipsis probationes strictissimæ et apertissimæ, ut dicit Glossa in cit. cap. *Quoniam*, § 1, verb. *Civiliter*, per textum in cit. cap. *Epiphanium* 5, q. 6, et leg. ultim., cod. *De probationibus*.

(28. Dicitur autem notanter criminaliter motis, quia secus est dicendum in causis criminalibus solum civiliter motis, cum de ipsis sit discurrendum ac de causis mere civilibus: paria enim censetur quod agatur mere civiliter vel quod de crimine agatur civiliter, arg. l. ultim., ff. *De privatis delictis*, et concordat in cit. cap. *Quoniam*, § 1, ubi dicit indistincte, *Cum civiliter est agendum*, non distinguens de causis mere civilibus ac de criminalibus civiliter agitis. Sic doctores communiter.

(29. Ordinarie tres solum testium productiones fieri et admitti possunt, quarta vero non nisi ex gravi causa et cum solemnitate legali admitti potest. *Communis*, textu expresso in c. *In causis* 15, De testibus; ibi: « In causis ecclesiasticis vel civilibus ultra tertiam productionem non debent testes produci, nisi adhibita quadam solemnitate, quæ in legibus invenitur expressa. » Et concordat Authent. *De testibus*, § *Quia vero*, collat. 7, et cap. *Ultra tertiam* 55, De testibus, ubi insuper determinatur solemnitas legalis observanda in quarta testium productione, ibi: « Ultra tertiam productionem non debent testes produci in causa: nisi præstito ab eo, qui hoc postulat, juramento, quod neque per se, neque per alium testificata subtraxerit vel fuerit percunctatus, neque per dolum aut artem aliquam, quartam productionem exposeat, sed quia, quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit. »

(30. Ubi, ut vides, dicta requisita solemnitas legalis in quarta productione testium importat juramentum super tribus punctis judicialiter præstandum. Primo quod *testificata*, id est factas, sive pro sua, sive pro contraria parte (ut explicat Glossa in cit. cap. *Ultra tertiam*, verb. *Testificata*) testium depositiones, neque per se, neque per alium subtraxerit, id est suppresserit, vel occultaverit, forsau advertens quod sibi non faveant. Secundo, quod nec dicta testificata fuerit percunctatus, id est non didicerit aut exploraverit; cum de facili posset tunc oriri periculum, et præsumptio subornationis testium, si isti post jam percunctata, seu didicita testificata produci possent, cap. *Fraternitatis* 17, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Noviss*, De testibus. Tertio, quod « neque per dolum aut artem aliquam, quartam productionem exposeat; » id est quod non ad malitiose protrahendam litem, donec ali-

quis interim moriatur, vel se absentet (ut explicat Glossa, *ibidem*, verb. *Per dolum*), « sed quia, quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit, » ut expresse habet textus in cit. cap. *Ultra tertiam*, et cit. Authent. *De testibus*, § *Quia vero*, collat. 7, tit. 2, cap. 4.

(31. Qui testificata seu depositiones testium nondum didicit, neque testibus producendis renuntiavit, potest in eodem etiam iudicio, et super eisdem articulis iterum eosdem, vel alios testes producere. *Communis*, textu expresso in c. *Constitutis* 46, De testibus, juncto ejus Summario, in quo sic præcise habetur: « Qui testificata non didicit, nec renuntiavit testibus producendis super antiquis articulis, seu capitulis, testes etiam alias productos producere potest. » Et ratio est clara, quia in tali casu cessat periculum subornationis testium.

(32. Post didicita autem testificata, seu didicita testium productiones, aut post factam publicationem attestationum non potest pars super eisdem articulis, vel directe contrariis reproducere prioris testes, neque alios novos producere. *Communis*, textu expresso in cit. Authent. *De testibus*, § *Quia vero*, cap. 4, Collat. 7, tit. 2, ibi: « Illud tamen indubium est, quia etsi semel producents testes, aut bis, aut testificationes tractaverit (id est descriperit, ut explicat Glossa) aut adversario hoc faciente, ipse disputationem acceperit, et ex hoc didicerit testificata, non habebit omnino licentiam allam ulterius uti testium productione. » Et concordat citat. cap. *Constitutis* 46, De testibus, ibi: « Cum nondum testificata didicerint, » sumpto argumento a sensu contrario, et cap. *Ex tenore* 36, De testibus, ibi: « Cum attestaciones jam essent hinc inde solemniter publicatæ, locus productioni testium jam non erat; » juncta Glossa final. *ibidem*, cap. *Veniens* 38, § *Pars autem*, De testibus, ibi: « Non licebat eisdem, postquam testificata didicerat, super eisdem articulis alios testes producere. » Et ratio est manifesta, quia tunc subest præsumptum periculum subornationis testium, id est ne pars, quæ testes produxit, eos subornet, ac instruat, ut aliquid addant, vel demant, seu corrigant de priore sua facta testificatione. Clement. *Testibus* 2, De testibus, ibi: « Testibus rite receptis, et eorum attestacionibus publicatis, sicuti non licet super eisdem, vel directe contrariis articulis, alios vel eosdem testes in principali causa producere; sic non debet in appellationis causa licere: cum non minus in principali causa subornatio sit timenda. »

(33. Dantur tamen varii casus, in quibus etiam post publicationem attestationum, aut didicita attestata, et insuper etiam post conclusionem in causa possunt adhuc produci novi testes, aut reproducere priores, etiam super eisdem articulis, et admitti novæ probationes. Vide verb. *PROBATIO* a n. 66 usque in fin., ubi id clare ostenditur.

(34. Testes e longinquo producendi sunt sumptibus ipsis producentis, seu ipsorum

testimonium desiderantis, qui tenetur proinde eis subministrare competentes expensas in veniendo, stando et redeundo factas juxta conditionem et qualitatem ipsorum. *Communis*, textu expresso in cap. *Statutum* 11, § *Pro ferendo*, De rescriptis in 6, ibi: « Sed nec tunc, nisi a producente competentes, vocato pro testimonio veniendo, stando et redeundo, faciat ministrari expensas; » et leg. *Quoniam libri* 11, cod. *De testibus*, ibi: « Talis debet esse cautio judicantis, ut eis (scilicet testibus) venturis ad iudicium per accusatorem, vel ab his, per quos fuerunt postulati, sumptus competentes dari præcipiat; » quæ ipsissima verba repetuntur in can. *Si testes* 3, § *Venturis*, caus. 4, qu. 2 et 3.

(35. Insuper producents testes de longinquo debet eis compensare emolumenta, quibus testes ob absentiam carere debent, seu operas ob id ab eis omissas. Et hoc ad servandos testes indemnes, ne videlicet testimonium sit testificantibus damnosum ex jactura talium emolumentorum, quia licet testimonium non debeat testibus esse luero, non tamen debet ipsis esse nocuum. Farinac., *De testibus*, q. 76, n. 271 et 272; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 443, testans de veriori et magis communi contra Gailum, et alios.

(36. Pars adversa, seu quicumque alius testium productionem injuste impediens, peccat graviter, et potest ob id excommunicari. *Communis*, textu expresso in cap. *Constitutis* 46, De testibus, ibi: « Cum quosdam induxerint ad jurandum, ne adversus archiepiscopum aliquid dicerent, et alios minis et terroribus a testimonio prohibendo acere nitantur. Nos ex officio nostro super hoc providere volentes, mandamus, ut generalem feras excommunicationis sententiam in omnes, qui impedimentum aliquid ipsi M. præstare præsumperint in testibus producendis; » juncto ejus Summario sic dicente: « Excommunicari possunt, qui partem impediunt in testibus producendis. »

(37. Testes, antequam deponant suum testimonium, debent jurare; alioquin eorum testimonium non valet, et nihil probat in iudicio. *Communis*, textu expresso in c. *Super bonis* 51, De testibus, ibi: « Nullius testimonio quantumcunque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. » Et concordant cap. *Fraternitatis* 17, cap. *De testibus* 29, cap. *Tuis* 39, De testibus, can. *Si testes* 3, § *Jurisjurandi*, caus. 4, q. 2 et 3, c. *Hortamur* 20, caus. 3, q. 9; item l. *Jurisjurandi* 9, Cod. *De testibus*, ibi: « Jurisjurandi religione testes, priusquam perhibeant testimonium, jam dudum arctari præcipimus; » et l. *Testium* 19, cod. eod., ibi: « Hicque cum sacramenti religione deposuerint. »

(38. Testium juramentum non est calumniæ, sed veritatis, id est de tota veritate dicenda, quam noverunt circa rem illam, super qua deposituri jurant. *Communis* per textu c. *Nullam damnationem* 3, caus. 2, q. 5,